

20.433

Ular Tyw. a pon la mañana
y A pon la tarde

R. 20.433

Foll. 20. 433

CONCERTATIO THEOLOGICA

UNIUS ANNI CURRICULO ABSOLUTA

INEUNDA

A D. FRANCISCO XAVERIO

SANCHEZ, ET MONINO,

Sacr. Theolog. Doct. Orcellensis Academiae Collegio-
Seminarii Immaculatae Deiparae Alumno Togato.

PRAESIDE

D. DOMINICO NAVARRO,

ET CASETE,

Presbytero, in S. Fuigentii primum, dein in S. Isidori
Murciensis Collegiis antehac Alumno Togato, iam
in Orcellensi SS. Theolog. Professore.



PALAEASTRA ORIOL. TEMPL. SS. VV. IUSTAE ET RUFFINAE.

DIE 27 MENSIS Junii ANNI M.DCC.LXXIV.

Valentiae: In Typographia Benedicti Monfort. Ann. 1774.

D. O. M.
MVNITISSIMAE. ARCI
VIRTVTVM. AC. LITT. BONO. IVGITER. EXCVBANTI
COLL. SEMIN. QVE. ORCELLENSI
ILL. PIAE. IMMORTALISQVE. MEMORIAE. VIRI
D. IOH. ELIAE. GOMEZ. TERAN
CIVITATIS. EIVSDEM
ANTISTITIS
AD. INVIDIAM. MAXIMI
OB. MAGNITUDINEM. ANIMI. INCOMPARABILEM
OB. VINDICATA. INFRACTO. PECTORE. PONTIF. IVRA
TOTI. HISPANIARVM. REGNO. SPECTATISSIMI
LABORIBVS. VIGILIIS. CVRIS. IMPENSISQVE. SVMMIS
REGIIS. ETIAM. AVSPICIS
FVND. SVPRA. FIRM. PETRAM
DIVAQVE. VIRGINE. ILLIBATA
ET. MICHAELE. ANGELORVM. DVCE
IN. EIVSDEM. TVTELAM. ADVOCATIS
FIRMIVS. PERSTITVRO
NECNON. PRVDENTISSIMIS
CHRISTIANAE. PIETATIS. AC. DOCTRINAE. LEGIBVS

BENEDICTO. XIV.

PONT. TER. MAXIMO. PROBATISSIMIS
AD. SACRI. TRIDENTINI. CONCILII. NORMAM
RELIGIOSE. COMPOSITO
QVOD. VIX. DVM. ERECTVM
DE. VIRT. DE. LITTERIS. IAM. PRAECLARE. MERENS
IDE. ILLE. PONTIFEX. SAPIENTISSIMVS

VNIVS. APOSTOLICAE. SEDIS

ORCELLENSI. PRAESVLE. ORBATA

FIDEI. POTESTATIQVE. SVBIECIT

CVIVS. STVDIOSA. CVRRICVLA

PHILIPPVS. V. HISPANIARVM

BENEFICNTISSLIMVS. AETERNAEQVE. MEMORIAE

REX

ADIVNXIT. ACADEMIAE. ORCELLENSI

ITEMQVE. MAGISTROS. ALIARVM. DOCTORES

SVPREMIS. HVIVS. LAVREIS

DONARI. IVSSIT

CVIVS. IMPETITA. IVRA

EIDEM

A. POTENT. REGE. CAROLO. III.

PIO. FELICI. AVGVSTO
RELIGIONIS. BONARVM. ARTIVM
OPTIMO. PATRONO
HONORIFICE
ADserta. VINDICATA. CONSTABILITA
CVIVS. FAMA
MAGIS. IN. DIES. INCLARESCENS
CLEMENT. XIII. PONT. MAXIMI
AETERNIS. PRAECONIIS. CONSECRATA
CVI. TANDEM
OB. ILLVSTRISSIMOS. VIROS. IN. EODEM. OLIM. MAGISTROS
DOM. IOSEPHVM. LAPLANA. AD. TVRIASONENSES
DOM. IOSEPHVM. TORMO. AD. ORCELLENSES
INFVLAS. EVECTOS
QVORVM. ISTE
MAXIMARVM. CONDITORIS. VIRTVTVM
EX. ASSE. HAERES
EIDEM. MODO. VAH. FORTVNATAM. SORTEM!
AMORE. PRAEEST. INCOMPARABILI
VTROSQUE. DEIN
INTER. AMPLISSIMOS. REGII. EXTRAORDIN. CONSILII
IVDICES. COOPTATOS

PRAECLARUM. ACCESSIT. DECUS. ATQ. ORNAMENTUM.

FRANCISCVS. XAVERIUS SANCHEZ. ET. MOñINO
FAVSTA. HAEC. ET. AMPLIORA. IN. AEV. PRAECATVS

A. D. O. M.

PRO. INDVTA. GRATVITO. TOGA. CANDIDA
AVDITISQVE. PHILOSOPHICIS. AC. THEOLOGICIS
DISCIPLINIS

THESES. PVBLICE. DISPVTA NDAS
IN. AETERNVM. FIDEI. OBSERVANTIAE. AMORIS
GRATIOVE. ANIMI MONVMENTVM

L. L. Q.

NVNCGVP. DICAT. CONSECRAT

ANN. CICICCI.

PRAEFATIUNCULA.

PAUCIS te, Lector, interpellatum volumus. En tibi sistimus specimen curriculi litterarii à nobis, nostrisque contubernalibus emensi. Id publicae ut concertationi exponamus illorum facit auctoritas quae apud nos plurimum valet, & verò valere debet. Est illud ad opus Cl. P. Caroli Billuartii, quod in Academia nostra versamus consultò exactum; nec ultiro pedem efferre licuit, quo constet quanta quot annis in nostro, oculis nobis cariori, Collegio-Seminario Sacr. Theologiae studio opera impendatur. Haec nostra monere intererat, quae ubi sciveris, parum refert si hoc qualequale opuscolum aut igni tradas aut Vulcano.



DE DIVINA GRATIA.



Uandoquidem dogmata catholica pro gratiae necessitate tuendi gloriosissimam suscepimus provinciam, adversus contrarios haeresiacas nervos omnes exerere necesse est. Venit igitur in aciem Pelagiana haeresis, quae miserè, diùque vexavit Ecclesiam, quaeque omnium ferme hominum indignationem subiit, crebrisque anathematismis, & vellicationibus exagitata fuit.

Ani-

Animadvertere in illam Pontifices, ac Concilia auctoritate, Patres lucubrationibus, & vel ipsi decretis Imperatores. Strenuam p[ro]e aliis in hanc rem operam n[on]avat Augustinus, dignus profecto, cuius scriptis haeresim Pelagianam iugulatam Max. Hieronymus gratularetur. Tres mihi status huiusc[ea] haeresis veniunt commemorandi. Evidem immane quam lubricè, & variè illius asseclae in adserenda divina gratia versati sint!

I. Agnoverunt in primo haeresis suae statu necessitatem legis, sive naturalis quoad praecpta naturalia, singulorum hominum insculptae cordi, sive positivae exterioris quoad mandata positiva, ad quorum possibilitatem doctrinam quoque externam commendarunt. Habitualē quidem gratiam etiam agnoverunt, inanem tamen, quamque nullus adsereret Catholicus.

II. In secundo praeter legem, doctrinamque exteriorem, actuales internas gratias amplexi sunt, revelationes scilicet, mentisque illustrationes. Nec reiecerunt eam, quam *possibilitatis* nomine adpellitant Theologi.

III. In tertio tandem, quantum ex eorundem gestis coniicere fas est, opinor, vasserrimos fidei hostes in dogmatibus passim fluctuantes, eò tandem Catholicorum ratiociniis, Ecclesiaeque fulminibus ictos devenisse, ut operis, voluntatisque gratiam adfererent, rectae nimirum voluntatis, operationisque effectricem. Sed eam technis, subdolisque adeò interpretationibus deformarunt, ut vacua, inanisque prorsus relicta sit.

IV. Quoad Semi-Pelagianos adtinet, numquam praedicarunt ii ut necessariam ad fidei initium praevenientem gratiam interiorem, indifferentem, & reapse collatam voluntati. Inter eos verò ii saltem, qui fidei initium in unico gratiae consensu reponebant, ad actus absolutos, formatosque cooperantem gratiam admisere,

quae

quae ut oblata anteverteret omnem voluntatis consensum , sequeretur autem ut collata.

V. Ratam fixamque habemus tritam illam naturae humanae in quinque status partitionem , purae nimirùm, integrae , cet. Hi autem quàm uberem suppeditare possint dicendi copiam , agnoscet qui cupidum eorum , patientemque animum in certamen attulerit.

VI. Fieri optimè potuit , ut Deus hominem condidisset redactum ad purae naturae dotes , atque iura , obnoxium ignorantiae , concupiscentiae , morti ; peccati, gratiae , ac cuiusvis superni doni omnino expertem.

VII. Vires illae , quas prudens natura mortalibus ad bonum indidit morale , adhuc vigente peccato eadem intrinsecùs permandere , tantùmque forinsecùs detrimentum passae fuere.

VIII. His delibatis , in ampliorem delabimur agonen , inquisituri , quaenam Angelis Adamoque necessaria fuerit gratia , ut acceptam custodirent ? Nos efficacem cum Thomasianis nostris velis equisque , adstruimus , à qua quidem sententia alienum non fuisse D. Augustinum nobis ipsis , quae nostra est in Magnum Paren tem reverentia , iucundè blandimur.

IX. Itaque gratiae nomine intelligimus coeleste donum supernum , & gratuitum à Deo hominibus concessum ob Christi merita , ad perpetuam felicitatem sibi comparandam.

X. Gratia , quae in aliorum salutem confertur , dicitur gratis data , eiusque novem species accuratè numeravit Paullus *I. ad Cor. XII.* quae verò nos Deo acceptos reddit , gratia gratum faciens nominatur , & in habitualem , & actualem partitur. Missas nunc facio multiplices alias gratiae divisiones , quae passim apud Theologos sese offerunt , quaeque non ex subtilitate dif-

putantium natae sunt, sed ex accurata observatione tūm Scripturarum Divinarum, tūm Maximorum Ecclesiae Patrum, praesertim August. qui citra aleam uberiūs, ac feliciūs prae caeteris de divina gratia differuit.

XI. Veritates quasdam adsequi licet homini sine speciali gratiae iuvamine, non item omnes.

XII. Honestum opus elicere quis potest, unico instruētus generali auxilio Dei, quodammodo verò speciali.

XIII. Ast ad Deum naturae auctorem efficaci, quod aiunt, affectivo amore prosequendum, singularis praefidio gratiae opus est.

XIV. Voluntas moralis ordinis nonnulla opera honestè exequi potest, dempto, sanctificantis gratiae, findeique subsidio.

XV. Hinc efficitur, non omnia, aut impiorum, aut infidelium opera, tamquam ex prava concupiscentia exorta, ceu crimina traducenda esse.

XVI. Nequit lapsus homo, universam servare naturae legem, ni praecipuo quodam auxilio gratiae forteatur.

XVII. Corruptus homo, gravique pollutus crimine, nequit tentationes cunctas, peccataque omnia mortalia contra jus naturae diutinè sine ope praecipuae gratiae vitare.

XVIII. Mortalium nemo, quantumvis iustus, ac piissimus, diu ab omni omnino veniali criminē liber erit, nisi peculiarem valde gratiam adeptus sit, quam uni Beatissimae Virginis Mariae concessam putamus.

XIX. Homini iusto praeter gratiam habitualem, virtutesque infusas, necessaria est ad singulos pietatis actus generalis Dei motio ut auctoris supernaturalis, quae tamen quadantenus adpellari potest specialis, & gratuita.

Ut

XX. Utut lapsus homo vires exerat , minimè se paratum reddet , ad gratiam sive actualem , sive habitualem , ni actualis gratiae iuvamine praeveniatur.

XXI. Ast quid de vulgato , omnibusque noto axiomatice : *Facienti quod in se est , Deus non denegat gratiam?* Copiosius , accuratiusque de eo , occasione data , sermonem instituemus.

XXII. Proculpulsa ab homine per peccatum gratia , in illius tenebris consepultus manet , donec ipsa gratia illuminetur.

XXIII. Finalis perseverantia , sive quae statim finem attingit , sive qua post certamen palma consequitur , magnum , atque singulare Dei beneficium est.

XXIV. Habitualis gratia donum est , quo nullum praestabilius , aut expectare possumus , aut obtainere ; per ipsam Deus nobis confert iustitiam , adoptionem , iura ad eius haereditatem. At divinum quoddam dicitur , quod ad modum habitus , à charitate revera distinetum , haeretque cordibus hominum.

XXV. Est etiam gratia formalis , & physica divinae naturae participatio , qua filii Dei adoptivi constituiuntur.

XXVI. Propria gratiae sedes sola anima habenda est.

XXVII. Gratiam illam sufficientem dicimus , quae hominem ad operandum potentem efficit , operantem non facit. Unde relinquitur necessariam esse , sed non unicè , quippe quae alterius posterioris , vividiorisque gratiae confortio indigeat. Nihil est hic quod non redoleat doctrinam S. Thome , quodque iure impeti liceat morsibus lansenistarum.

XXVIII. Gratia efficax donum Dei est , quo bonum , noxiis cupiditatibus fortiter compressis , alacriter operamur. Utrum intrinsecus efficax illa sit , an secùs ,

iam inde ab exitu saeculi XVI. in gravem controver-
siam vocatum est. Quocirca nos cùm ab Apostolo eru-
diamur , felicitatem iustorum à beneplacito miserentis
Dei ita venire , ut miro , & ineffabili modo operetur in
eis velle , & perficere pro bona voluntate , atque illos,
quae sua est potentissima inclinadorum cordium potestas,
flestat pro libito, sicuti haec tenus ab Augustino ad Mol-
nam Ecclesia iudicaverat universa; totis lacertis, conten-
dimus, gratiam victricem intimam vi effectum fortiri suum.

XXIX. Necessitatem gratiae huiusmodi ex triplici
capite repetimus cum D. Thoma , ex indole potentiae
divinae , ex praefantia obiecti salutaris , ex imbecilli-
tate voluntatis humanae.

XXX. Cùm ergo auxilii sufficientis nomine donetur
id omne ; quod piissimus Deus nobis confert , ut opus
elicere salutare possimus , fluit inde situm minimè esse
in uno determinato , & indivisibili.

XXXI. Nullum in creatis reperies agens , quantali-
bet perfectione pollens , cui veluti primariae causae,
physica divinae gratiae productio attribui queat.

XXXII. Age verò gratiae genesim in examen voce-
mus. Nihil nobis firmius persuasum , quàm ipsam educi
de obedientiali animae potentia , non verò creari , aut
concreari.

XXXIII. Habita Providentiae communi lege , ex
parte adulti sui compotis quaedam ad gratiam (intellige
habituelam) requiritur dispositio , quae in actu , & mo-
tu liberi arbitrii , quibus in Deum properamus , sita est.

XXXIV. Quandiu iustus mortalem hanc vitam du-
cit , potest excidere à sanctitate , de qua certitudinem
omnimodam habere nequit absque expressa , benigna-
que Dei revelatione.

XXXV. Ne quis verò heic desideret materiam pug-
nae,

nae, qua & exerceri ingenium possit, statuimus, gratiam expellere ab anima peccatum, cum quo illi perpetua, atque implacabilis inimicitia est, nempe à natura profecta. Neque enim peccatum sive actualē, sive habituale potest Deo adhuc admittente, cum gratia una esse, sive sociari.

DE GRATIA IUSTIFICANTE, ET MERITO iusti.

I. **M**entiuntur summopere haeretici, dum assertunt, in iustificatione impii peccata non verè deleri, sed radi tantum, tegi, vel in culpam non imputari.

II. Eadem chorda aberrant nebulones ii, qui homines iustificari existimant, vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quae in cordibus hominum per Spiritum Sanctum diffunditur.

III. Neque perfecta, omnibusque numeris absoluta iustificatio contingere potest per Dei tantum favorem extrinsecum.

IV. At semel dato, Deum peccatorem ad contritionis, & charitatis actum movere solo auxilio actuali, dempta habitualis gratiae infusione, probabilius opinamur, haberi tunc posse inchoatam, imperfectamque iustificationem.

V. Labuntur turpissemè quotquot putant, fidem iustificando homini necessariam esse fiduciam illam, qua fidimus, crimina nobis deleri per Christum.

VI. Ergo sola illa fides erit, qua veritatibus à Deo revelatis constanter adsentimur ob Dei testimonium, falli omnino nescium.

Ne.

VII. Nequeunt peccatores iustificantem gratiam adipisci vel sola Novatorum futili, casaque fide, vel ea tantum, quae, etsi vera sit, ab omni humanae voluntatis motu seiuncta est.

VIII. Disponuntur adulti ad iustificationem, fide, timore, spe, dilectione, caeterisque actibus à Tridentina Synodo enumeratis.

IX. Supereft, ut investigemus, à quo fonte, principiove charitatis, & contritionis actus, hominem ultimatè ad gratiam habitualem praeparantes, effectivè originem ducant? En pugnam Actiaca graviorem, quam dirimere paucis, conabimur in certamine.

X. Ergo impii iustificatio, qua parte dicit gratiae infusionem, peccatorumque remissionem, nobis persuasum est, in instanti peragi; secùs verò, si dispositivi motus ratio habeatur.

XI. Huc pertinet inquirere, num iustificatio sit opus Dei praestantissimum, & miraculosum, sed nihil est cur heic immoremur. In palaestra invitati quae temperatum Theologum decent, disputabimus.

XII. Ex gratia, quam Deus gratis hominibus impertitur, meritum oritur, seu ius quoddam ad premium ab illo consequendum, qua ineffabili benignitatis significatione debitor Deus ipse nobis efficitur.

XIII. Duplex tantum meritum distinguimus, de condigno unum, alterum de congruo.

XIV. Postulat ratio meriti, ut opus ab homine, eodemque iusto, liberè peragatur; ut in obsequium tendat Dei praemia elargientis; atque ab isto ad premium referendum addictum sit, & ordinatum.

XV. Factus iam homo à sordibus mundus, Deique amicus, ab ipso verè, & propriè aliquid mereri potest, etiamsi velis beatitatem omnibus numeris absolutam.

Actum

XVI. Actum est de vero merito, si demas charitatis influxum, saltem virtualem.

XVII. Primam habitualem gratiam nec condigne, nec verè congruenter promereri quis potest.

XVIII. Solus Christus condigne potuit alteri mereri primam gratiam. Vicissim id praestari sibi homines possunt de congruo tantùm.

XIX. Homo, in peccata lapsus, numquam condigne mereri potuit veniam peccatorum. Imò nec de congruo strictè mereri potest post lapsum reparari.

XX. Ex merito de condigno fluit gratiae, & charitatis augmentum; ast minimè promereri possumus perseverantiam, sive quam temporalem adpellant, sive finalem.

XXI. Absit verò meriti rationem induant, saeculi illae fluxae voluptates, & commoda, in quae mali effreni proclivitate arrepti, ruunt ultra rationis metam, his namque magis à vera beatitate abalienamur; tamen si eorum quoddam ad salutem fuerit utile, prudens, misericorsque Deus nobis impertietur, eritque sub merito, non secùs ac gratiae augmentum.

D E F I D E.

I. **A** Ditum nobis adperit ad nostram felicitatem Fides, quae ab Apostolo vocatur: *Sperrandarum substantia rerum, argumentum non adparentium.* A Theologis definitur: *Virtus divinitùs infusa, qua constanter adsentimur his, quae à Deo sunt revelata, propter summam eius auctoritatem.*

II. Unde facile cuiquam patebit, duas esse fidei proprietates, obscuritatem nempe, & certitudinem.

III. Attamen evidentia revelationis rei revelatae ob-

obscuritatem non tollit , sicque cum ipsa stare potest fides infusa.

IV. Deus , ut veritas omnium princeps , & nobilissima obiectum est fidei formale *quod* , formale *quo* eadem veritas est , sese exterius hominibus prodens , ac Divina sapientia comitata.

V. Fidei obiectum materiale adaequatum est collectio omnium veritatum à Deo revelatarum , primariò Deus ipse , caetera verò secundariò.

VI. In fidei , ut aiunt , resolutione deveniendum est tandem ad summam Dei veritatem , unde in Ecclesiae testimonio non sistimus.

VII. Scriptura Sacra non est adeo aperta , ut sola ad discernenda revelata à non revelatis sufficiat.

VIII. Nec privatus cuiusque spiritus regula est idonea ad haec eadem discernenda.

IX. Sola igitur Ecclesia sufficit ad controversias circa revelata , & non revelata dirimendas.

X. Ex vaticiniis Prophetarum adimpletis , ex mirabili modo , quo in orbem universum inducta , & propagata est fides ac Religio Christiana , inconcusisque cæteris monumentis , quae roganti libenter exhibebimus , tot , tantaque profluunt nostræ fidei credibilitatis motiva , ut non nisi imprudenter negari , aut in dubium revocari valeant.

XI. Evidenter credibilia fiunt nostræ fidei mysteria manifestissimis argumentis.

XII. Fidei obiecta aut implicitè , aut explicitè credenda eadem semper extitere ; fatemur verò illa successu temporis ab Apostolis ad nos usque quoad explicationem semper creuisse.

XIII. Symbolum , quod Apostolorum inscribitur , fuit eis traditum , non scripto , sed ore , cor-

di-

dibusque ac memoriae fidelium commendatum.

XIV. Symbolum vulgo Athanasianum à D. Athanasio conscriptum non fuisse, nobis cum Recentiorum criticorum familia propugnare arridet.

XV. Vigilio Tapsensi gravioribus de causis tribui debet, cùm desinente saeculo v. complura ipsius vestigia compareant.

XVI. Veritatibus supernaturalibus superno modo per fidem adsentiri, nequimus, sine praesidio gratiae, quoque voluntatis motu.

XVII. Adultis omnibus necessarium fuit omni aevi necessitate medii ad salutem, credere fidei supernaturali aliquid superans rationem naturalem.

XVIII. Fuit etiam semper necessarium eadem medi necessitate haec duo credere explicitè, Deum videlicet esse auctorem gratiae, & gloriae remuneratorem.

XIX. Propalato Evangelio, adeo necessariam explicitam SS. Trinitatis, & Incarnationis fidem putamus, ut qui ea caruerit, iustus, & salvus esse non possit.

XX. Praeter hanc necessitatem, altera quoque necessitas, quam vocant praecepti, prae oculis habenda est, quae ab omnibus saltem exigit, ut Dominicam Orationem, Decalogi, & Ecclesiae praecepta omnia, Sacraenta necessariò suscipienda, & Symbolum Apostolorum, quoad praecipuas saltem circumstantias profiteamur expressè.

XXI. Tenemur saepe fidem exteriùs etiam cum vita dispendio positeri; quandoque tamen persecutionum procellas vitare licet.

XXII. Nefas semper est, susceptam denegare fidem, vel gravissimo damno, imò morte ipsa, teterrimo malorum omnium, imminentे.

XXIII. Nefas etiam est, ritibus idololatricis, su-

perstitionis, aliisve, vel suapte natura, vel humana lege ad falsam religionem institutis, veram occulere, et falsam simulare.

XXIV. Fidei subiectum mentem esse, persuasum habemus, utpote virtutis intellectualis; tametsi fatemur, huiusmodi virtutis actum minimè esse meritorium, ni ex charitate procedat.

XXV. Hinc charitas ipsa fidei est forma, accidentalis tamen, ipsique extrinseca.

XXVI. Exinde fluit recepta apud Theologos fidem formatam, & informem distinctio, haec licet vera virtus, est tamen imperfecta.

XXVII. Longe nobis accommodior est illorum opinio, qui habitum fidei formatae, & informis eudem esse dicunt.

XXVIII. Divinam fidem caeterarum virtutum generationis gradu per se esse principem, puto, qui negat, futurum esse neminem.

XXIX. Nihil dubitamus divinae fidei actum certiorem esse quoad se, cognitione quavis naturali, quantumvis evidenter ponas, atque scientificam.

XXX. Eritne discursiva virtus? Minime vero gentium, sed omnino simplex.

XXXI. Fidem infusam in prima sui conditione Angelos habuisse, atque ante lapsum Protoparentes nostros, nullus est qui dubitet, ni eum plenissimè fugiat, eos in statu fuisse ad Deum accedendi.

XXXII. Fides in peccatore vera virtus est, sed rudis, atque imbecillis.

XXXIII. Infusam fidem amittunt haeretici, qui vel uni articulo pertinaci animo reluctantur. Abest pariter à beatis, damnatisque. Manet in animabus in Purgatorio detentis.

Quae

XXXIV. Quae fidei maximè opponuntur, tria haud immerito numerari, Infidelitatem scilicet, Haeresim, atque Apostasiam, omnibus pervisum est.

XXXV. Est itaque Infidelitas carentia fidei in eo, qui nunquam Baptisma suscepit. Haec aut negativa dicitur, quam non esse peccatum, sed poenam peccati, cum D. Thoma caeteri omnes docent Theologi; aut positiva, quam à peccato minimè excusari posse, sci-
tum, vulgatumque est.

XXXVI. Utraque tres continet classes Infidelium; Paganos, qui falsos Deos colunt, Iudeos, & Mahu-
metanos, qui verum Deum colunt, superstitionis tamen ritibus.

XXXVII. Nobis persuasum est, nullatenus esse ad fidem cogendos Infideles, qui fidem nunquam sus-
ceperunt, et si Principibus Christianis subdantur.

XXXVIII. Posse tamen cogi, ut fidem ipsam, fi-
deive praedicationem blasphemiiis, apertis persecutio-
nibus, caet. non impedian, ultiro fatemur.

XXXIX. Ast Infideles illi, qui aliquando fidem susceperunt, ad unitatem fidei compellendi sunt.

XL. Haeresis est hominis Evangelium profitentis error apertè contra fidem cum pertinacia in eodem.

XLI. Non inficiamur, haeresim multifariam di-
vidi. Divisiones omnes singillatim exponere, ardua profectò res est, oppidoque molesta. Unde formalem, quam definivimus, materialem, internam tantùm, aut tantùm externam, si desideres, exhibebimus.

XLII. Haereticus, si materialis sit tantùm, merè internus, aut externus solum, haud quaquam excom-
municationem incurrit, aliasve spirituales haeretico-
rum poenas.

XLIII. Haereticus internus statim ac suam haere-

sim distinctè , & assertivè exterius ostendit, nullo etiam vidente , aut audiente , excommunicationem incurrit soli Papae reservatam.

XLIV. Publici haeretici , nisi ab Ecclesia voluntariè discedant , vel nominatim sint denuntiati , iurisdictionis retinent potestatem , validèque Sacra menta conficiunt , ac dispensant.

SCRIPTURA SACRA.

I. **S**criptura , quae Sacrae nomine insignitur , sine controversia omnino vera est , atque divina. Nam Spiritus Sanctus est , qui Sacris Scriptoribus non sensum solum , verborumque sententias , sed verba ipsa inspiravit , atque dictavit.

II. **S**acrarum Litterarum Auctor Deus , ne maximas quidem exerens omnipotentiae suae vires , mentiri per se , vel per administrum potest. Dispudet audacia , temeritatisque haereticorum , qui plurima Scripturarum loca , in queis divina veritas secum ipsa pugnare videtur , nobis heic uti pura , putaque illius mendacia obtrudunt. Ast illorum error iam dudum à Viris in Sacris Litteris exercitatissimis abunde refutatus est. Nos verò quibus nondum per tempus licuit esse tam beatis , etsi persuasum firmiter habeamus , à quibuslibet Sacrarum Litterarum locis omne omnino mendacium abesse procul , nihil est cur vereamur , fateri palam , haud collocasse in eo argumento studii tantùm , atque operae , quantum gravissimae huic rei pro dignitate extricandae necessarium est. Iccirco qualemqualem à nobis in re hac locatam operam ostendere praesumus , in iis tantùm conciliandis Sacrarum Littera-

rarum antilogiis, quas Theologi Scholae Nobilissimi Melchior Canus in Lib. II. de Locis Theol. Cap. II. & Carolus Billuartius Tract. de Relig. Diff. IX. Artic. II. expendunt, atque ad concordiam prosperè adducunt.

III. Iudicium de Scripturis per Scripturas ipsas nullo pacto idoneum esse potest.

IV. Ad privatos Reipublicae Christianae Cives non pertinet de his ferre iudicium. Hanc auctoritatem sibi vindicant Ecclesia, Universalis Synodus, ac Pontifex Maximus.

V. Latent plures sensus in Sacris Scripturis, Litteralis nimirum, Allegoricus, Moralis seu Tropologicus, & Anagogicus. De singulis non erit iniucundum, sermonem instituere, ut inde liquido appareat, tantam esse in Scripturae verbis energiam, auctoritatemque, ut etiam sub una littera plures sint sensus.

VI. Ad primum igitur illustrandum accedimus. Nihil nobis firmius persuasum, quam unum Scripturae locum plures habere posse sensus litterales.

VII. Cave, existimes, hunc ineptum esse ad fidei, morumque elucidanda principia. Siquidem Theologus ex Litterali semper firmum deducet argumentum.

VIII. Reliquum est, ut Allegoricum, Tropicum, & Anagogicum explanemus. Ad Allegoricum quod attinet, facile deprehenditur, eum locatum esse in eis quae per sensum litteralem immediatè significata, ad fidem propriè spectant.

IX. Tropicum autem de rebus agendis, de sperandis verò Anagogicum esse, ferè omnium SS. Patrum, Doctorumque consensu comprobatum est.

X. Hi tamen quatuor Scripturae sensus non ita ei attribuuntur, ut in quolibet eius textu sit istis quatuor exponenda sensibus; sed quandoque quatuor, aliquando

do tribus, saepe duobus, nonnunquam uno tantum.

XI. Supereft, ut de Metaphorico, ac Parabolico dicamus. Ille, dum verba pro ea re, quam significant impropriè, sumuntur, in Scriptura reperitur. Unde litteralis sensus improprius dicendus est.

XII. Parabolicum insuper integrum esse sententiam ad aliquid aliud ab homine intentum significandum propter similitudinem translatam, cognitum apud omnes, perpetuumque est. Videas, necessum est, ad Literalem sensum metaphoricum meritò pertinere.

XIII. Non praetereundus Accommodatius, quem in Scripturis admitti debere, id paſſim in Bernardo videre est.

XIV. Tandem Metaphoricus sensus, itemque Myſticus firmissimum Theologo argumentum ſuppedtant, nunquam verò Accommodatius.

XV. Quo autem idiomate libri Canonici tūm veteris, tūm novi Testamenti à Prophetis, & ab Apostolis primūm conscripti fuére, multasque veteris versiones, Chaldaicam, Syriacam, Graecasque varias, Claris. noster Billuartius ſtrictim, praefequere refert. Ic- circo nos singularum notionem, non contentioſa, ſed placida, brevique oratione persequemur.

XVI. Verūm ne nihil omnino definiamus, dici- mus, Alexandriae in AEgypto, ſeu in vicina urbi il- li insula Pharo, Septuaginta Interpretum Graecam versionem editam fuiffe. Utrum autem singuli è Sep- tuaginta separatim, an bini & bini, an potius omnes inter ſe conferentes, versionem fecerint, planè dubia res eſt: tamen probabilius putamus, omnes inter ſe contuliffe.

XVII. Ad Latinas versiones quod attinet, princi- pem ſibi vindicat locum illa, quae Vulgata dici con- ſue-

suevit, quamque Authenticam meritò declaravit Concilium Tridentinum, statuens, ne quis quovis praetextu eam reiicere auderet, vel praefumeret.

XVIII. Concilium Tridentinum non eo sensu Vulgatam declaravit Authenticam, quod nulla omnino errata, seu menda, in ea reperiantur.

XIX. Eo tantùm sensu Vulgata versio Latina à Concilio Tridentino declarata fuit Authenticā, quod in iis quae alicuius sunt momenti, à primario, & vero Divinae Scripturae sensu minimè discrepet; quodque corrupta non sit in his capitibus, quae ad fidem & mores pertinent.

XX. Quibus ita constitutis, si qua morum & fidei quaestio inter Catholicos exoriatur, eam definire oportet per Latinam hanc veterem editionem: cuius vide-licet si aliquod testimonium alteram quaestionis partem confirmaverit, ea sit Catholicis amplectenda; sin contra reprobaverit, reiicienda.

XXI. In fidei ac morum disputatione non est nunc temporis ad Hebraica, Graecave exemplaria provocandum, neque ex his certa controversiarum fides est facienda.

XXII. In his quae ad fidem & mores pertinent, non sunt Latina exemplaria per Hebraica, & Graeca corrigenda.

XXIII. Textus Hebraicus, & Graecus prout modò extant, corruptiores sunt, quàm ut illis certam, atque irrefragabilem auctoritatem tribuamus. Plura tamen commoda afferre valent, quae rogatus adperiam.

XXIV. Legere Scripturam Sacram vernaculè editam, res est planè adiaphora, unde in se spectata neque mala, neque penitus ab Ecclesia interdicta est.

XXV. Ecclesia verò gravissimis ducta causis, le-

ctio-

ctionem illam vetare saepè potest; id quod prudenter ab ea factum arbitror, atque statuo, lata ea lege obstringi privatos quosque Ecclesiae fideles. Neque est cur in hac re moremur stultas, atque irritas in prudentissima Ecclesiae iussa Novatorum querelas.

TRADITIONES CHRISTI, ET APOST.

I. **H**æretici penè omnes post Valentinum, & Marcionem eo in errore fuerunt, ut respuerent Apostolicas Traditiones. Praecipui recensentur Arius, Eunomius, Eutyches, & Wicleffus. Sed Lutherani tanquam sibi proprium usurparunt, quantoque maxima potuere vi, adstruere nissi sunt, nihil praeter Scripturas Sacras Apostolicam habere auctoritatem. Adversus quos loci huius auctoritatem vindicaturi, gravissima fundamenta iacere constituimus, quibus illius firmitas superstruatur.

II. Primum: Ecclesiam esse antiquorem Scriptura, fidemque proinde, ac religionem sine Scriptura constare. Secundum: Non omnia, quae ad doctrinam christianam pertinent, esse etiamnum in Sacris Litteris expressa. Tertium: Multa pertinere ad Christianorum doctrinam, & fidem, quae nec apertè, nec obscurè in Sacris Litteris continentur. Quartum: Apostolos maximis de causis alia quidem litteris, alia autem viva voce prodidisse.

III. Non desunt Regulae certissimae, quibus Apostolicas Traditiones investigare, valeamus. Eccillas. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est: Quod PP. ab initio secundum suorum temporum successionem concordissimè tenuerunt, contrario ut haeretico refutato: Quidquid in Ec-

cle-

clesia communi fidelium confessione probatur, quod tamen humana potestas efficere non potuit: Quod viri Ecclesiastici uno ore testantur nos ab Apostolis accepte; ex Apostolica Traditione necessariò derivatum est.

IV. Ex Christi, & Apostolorum Traditionibus, quae verae in Ecclesia extant, firmissima possunt argumenta elici, & ad Ecclesiae consuetudinem, & ad fidei dogmata comprobanda.

V. Traditiones divinas nequit Ecclesiae auctoritas commutare. Ex merè Apostolicis, & Ecclesiasticis, reperies periisse non paucas.

ECCLESIA CATHOLICA.

I. **E**st autem Ecclesia pulcherrima illa Christi sponsa, in saeculi usque consummationem duratura, fremant licet inferni portae. Eam cum Cypriano dicam non ipsam modò Catholicorum concionem, quae per Baptismum Christo peculiaris Respublica consecrata est, verum & ipsos praecipue Ecclesiasticos Praefectos, in quibus, caput erigente Pontifice Summo, huius Reipublicae auctoritas potissimum residet.

II. Huius ductum qui sequitur in iis quae ad fidem, moresve spectant, incedit tutissimus: falli quidem, aut fallere nescia est Ecclesia, cui Dominus perpetuò adest, quamque spiritu suo regit.

III. Nec splendidum adeò privilegium ad Apostolorum Ecclesiam, atque tempora unicè referendum est; sed pari iure ad eam, quae nos hodie in sinu gestat, & fovet, amplissimam parentem, cui quotidie pro Patribus nascuntur filii.

IV. Illustratur Ecclesia certis, statisque characteribus,

bus, qui, ut ex maioribus nostris didicimus, eiusmodi sunt, quod sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica. His cum careant Ecclesiae omnes à Catholica alienae, puta, Schismatica Graecorum, & Haeretica Reformatorum, vanae illae sunt, ac spuriae.

V. Una sit oportet vera Ecclesia tūm fide, qua omnes omniumque aetatum singuli eisdem assentiantur mysteriis, tūm obedientia, qua omnes eidem capiti adhaereant, ac in unum, tanquam in corpus membra coalescant.

VI. Sanctitate sua etiam pulcherrima sese nobis offert Ecclesia sine macula, sine ruga; sive Christi Sanctissimi illius Capitis ratio habeatur, sive eiusdem doctrinae, ac morum puritas spectetur.

VII. Errant tamen turpiter ii, qui hanc Ecclesiae perfectionem ita ad singula eius membra traducunt, ut cum Pelagianis contendant, eam esse congregacionem hominum dumtaxat perfectorum, aut iustorum caetum in enormia crimina nunquam lapsorum, ut placuit Novatianis, à quorum somniis non longè abludunt Donatistae, illam ex solis probis constituentes. Qua in re delusi etiam sunt Wicleffus, Lutherus, & Calvinus, temerè pronuntiantes, Ecclesiam Christi universitatem esse, ex solis Praedestinatis conflatam, & institutam.

VIII. Profectò hisce perspicuis Ecclesiae Christianae characteribus, ac velut lineamentis, vultus ipsius perspectus ita, & illustris nobis est, ut montis ad instar omnibus visibilis adpareat, omniumque oculis sese praeferat conspiciendam.

IX. Quarè neque extinta unquam fuit, neque extingui poterit, quidquid post Donatistas clamitent Reformati, quorum in Ecclesiam impetus inaniiores, im-

be-

becillioresque sunt, quàm ut illius claritatem valeant obscurare.

X. Iam verò eiusmodi notae, ad unam omnes, soli ei Ecclesiae insunt, quam nos iure Catholicam, & Romanam adpellamus, quaeque proinde, cum alioqui etiam continua Pastorum serie ab Apostolis ad haec usque tempora sanctissimis etiam viris, ac miraculorum frequentia clarissimè fulgeat, illa unicè vera Christi Ecclesia habenda est, extra quam salus frustra omnino quaereretur.

XI. Illius iudicium adeò solidum est, ac decretrium, ut nullus dubitationis locus relinquatur; adeò etiam publicae rei Christianorum necessarium; ut sine ipso controversiae Religionis forent sempiternae. Ic-
circo ab auctoritate Ecclesiae Catholicae firmissimum Theologus hauriet argumentum.

XII. Non auctoritate solùm Ecclesiae veteris, sed etiam quae nunc est, imò Pastorum, Ecclesiaeque Principum inniti Theologus poterit ad res fidei, morumque constanter stabiliendas.

XIII. Certissimum, fallique nescium deprehenditur Ecclesiae iudicium circa *Facta Dogmatica*, quo semel lato actum, & conclamatum est de Iansenistarum, & Quesnelianorum rixis. Horum in suis opinioribus tuendis pervicaciam sapienter, providèque fregit Clemens XI. Pontifex Max. celebri Constitutione *Unigenitus*, quam ita communi Ecclesiarum calculo probatam intelligo, ut nefas putem, ab illa ad futurum Generale Concilium provocare.

SACROSANCTA CONCILIA.

I. **C**oncilii nomine conventus intelligitur Prae-latorum Ecclesiae, sub legitimo Capite, ad controversias fidei dirimendas, condendasque leges componendis fidelium moribus oportunas. At Lutherus, & pseudo-critici Concilium volunt esse congregacionem non Episcoporum, non Sacerdotum, sed Rhetorum, Grammaticorum: *Gens* (ut ait Thomas Creech auctor haereticarum partium) *clamosa, immitis, acerba, irritabilis, perpetuum inter eos odium, contumeliae, convitia, ut imperiti rudesque tragici, cum humile aliquid, & miserabile dicant, vocem intendunt, & minantur magna.* Scilicet his regitur Ecclesia Lutherana.

II. Ad Romanum Pontificem praecipuo iure attinet Concilia Generalia convocare, eisdemque praeesse sive per se, sive per Legatos.

III. Soli Episcopi ex iure vocandi sunt ad Concilium Generale.

ECCLESIA ROMANA.

IOccum in primis arduum, ac difficilem à viris eruditissimis aetate nostra certatim, copiosèque illustratum adgredimur, in quo Romanae Ecclesiae auctoritas continetur. Pressis itaque vestigiis Clarissimorum Theologorum, quantum auctoritatis, ac roboris illi tribuendum putemus, subiectae prodent positiones.

I. Petrus Apostolus fuit à Christo institutus Pastor Ecclesiae Universalis.

II. Petrus, cum Ecclesiam docebat, aut oves infide firmabat, errare non potuit.

Pe-

III. Petro defuncto , divino iure est , qui succedat in eadem auctoritate.

IV. Apostolum Petrum Romam venisse , in eaque urbe fixisse sedem , quam ad obitum usque rexit , vocem licet extollant Calvinistae , omnibus etiam lippis notissimum est.

V. Pia quoque nobis opinio arridet , quae Romanae Ecclesiae sententiam de *Canonizatione Sanctorum* errori minimè abnoxiam credit. Ad fidem tamen non expectare , docemur ab Angelico nostro Doctore. Unde negantem , honore prosequendum esse , quem Ecclesia in Sanctorum Canonem retulerit , et si non haereticum , haeresi tamen proximum , ac temerarium , iure dixerimus.

D E S P E.

I. **S**pes , charitate avulsa , virtus est fracta , & elumbis.

II. Deum ut primarium obiectum intuetur illa à beatis per visionem possidendum. Secundarium verò bona creata sunt , quae ad supernam beatitudinem conferre valent.

III. Obiectum formale *quo spei* Dei omnipotenciam dicimus , eamque hominibus auxilia , & offerentem , & praebentem.

IV. Beatis spes omnis aufertur vel circa gloriam proprii corporis , quam spectant. Desiderium eis tantum inest circa expetitam hominum felicitatem , imprimum licet , atque ex charitate manans.

V. Impius morte aeterna multatus , à vera spe deturbari censendus est.

VI. Retinuere eam animae in Limbo detentae , retinent & illae , quae in Purgatorio suorum scelerum poenas luunt.

Ma-

VII. Manet spes Theologica in iustis viatoribus, & fidelibus, qui licet impiè, sceleratèque vivant, miserum desperationis crimen non admittunt.

VIII. Penè nos fugerat, quod minimè est praeter-eundum, huius scilicet virtutis valdè nobilis effen-tiam explanare. Est ergo spes: *Virtus divinitùs infu-sa, per quam, certa cum fiducia nostrae salutis, & aeternae vitae bona expectamus.*

IX. Spei certitudo quamquam admodum firma fa-lutarem timorem minimè excludit, qui etsi servilis sit, tamquam donum Dei supernaturale commendari debet.

X. Peccata huic virtuti opposita duo sunt, & qui-dem gravissima desperatio, & prae sumptio, quorum primum spem de medio tollit, alterum inficit insana quadam temeritate, & audacia; neutrum tamen sem-per cum infidelitate reperies coniunctum.

XI. Infelix homo ille, cui absoluta de sua aeterna damnatione facta esset revelatio, nec teneretur, nec posset suam beatitudinem sperare.

DE CHARITATE.

I. **C**haritas Theologica virtutum omnium prin-ceps est, ac ornamentum animae nobilissi-mum, qua Deum super omnia diligimus, & caetera propter ipsum; quaeque veram parit inter Deum, & hominem amicitiam.

II. Obiectum eius formale *quo* est ipsa Dei boni-tas, quae in se & propter se amari nata est, superno-que lumine cognosci.

III. Bonitas divina quamcumque pervadens Dei perfectionem constituit obiectum formale *quod* cha-ritatis.

Ea-

IV. Eadem specie charitate Deum diligimus, & proximum; Deum scilicet propter se, proximum propter Deum.

V. Charitas aliis virtutibus praestantior est, minime tantum in esse moris, verum etiam in esse physico.

VI. Hanc in via sine termino augeri posse, quidquid Beguardi dicant, & Beguinae, cum Conciliis Vienensi, ac Tridentino dicimus.

VII. Ad eiusmodi augmentum explicandum nobis non placet ad charitatis extensionem confugere. Solùm ergo intensivè illam augeri ultrò fatemur, quin tamen opus sit additionem charitatis ad charitatem revocare, cùm aptius, longèque intensionis naturae congruentius istiusmodi augmentum explicitur per intimorem charitatis in subiecto radicationem.

VIII. Quolibet actu charitatis etiam remisso novum meritum de condigno, novumque ius sibi comparat homo ad augmentum gratiae, charitatis, & gloriae.

IX. Caeterum gratia, & charitas non statim augmentur physicè ac actus remissi à iustis eliciuntur.

X. Quando verò iustus in actum ferventiores prorumpit, augmentum charitatis denuò acquirit actu ferventiori unicè respondens.

XI. Praemium itaque, remissis actibus debitum, usque ad primum instans gloriae nostraræ differtur.

XII. Habitualis charitas nullo pacto directè diminui potest, optimè tamen indirectè.

XIII. Verum enim verò pro charitatis amissione in Conciliis Vienensi, & Tridentino definita strenuè, & constanter dimicabimus, quin vereamur, ne quid illa Beguinarum, Begardorum, atque Calvini iaculis detrimenti capiat.

Hinc

XIV. Hinc fatendum nobis est per unum morāt^t
peccatum illam amitti.

XV. Charitas obstringit hominem , ut nedium se,
sed corpus suum amore etiam prosequatur , uti par-
tem , cui beandaे operam , industriamque omnem con-
ferre debet.

XVI. Angeli sunt nobis diligendi ex charitate.
Peccatores etiam quoad naturam tantūm , nam quoad
culpam , pertinaci odio prosequendi sunt.

XVII. Charitate quoque iubemur , inimicos amo-
re complecti , homines enim sunt. Scilicet nihil detri-
menti à nobis illis nec optandum , nec derivandum.
Imò praesto esse debemus , ut eorum sive spirituali,
sive corporali vitae , dum opus fuerit consulamus.

XVIII. Idem officium erga inimicos praescriptum,
servatumque agnoscimus in lege veteri.

XIX. Inimicis communia exhibenda sunt amoris
testimonia , peculiaria non item , nisi id improba adfe-
ctio animi postularit.

XX. Tenemur Deum ex charitate diligere super
omnia , & prae omnibus obiectivè , & appretiative;
hinc fluit magis esse diligendum simpliciter loquendo,
quam proximum , nosque ipsos.

XXI. Ab omni tamen peccato excusandus est , qui
sive naturali , sive supernaturali amore intensiori dili-
git proximum , quam Deum.

XXII. Debemus ex charitate nos magis , quam
proximum diligere. Proximum autem ipsum maiori
prae proprio corpore charitate prosequendum est. Ad-
dam. Fundenda vita est , si aeternae illius saluti , gra-
vissimè periclitanti , opem ferre possimus , ipsiusque
liberandaे spes affulserit.

XXIII. In necessitate tamen gravi id solūm prae-
sta-

stare tenentur illi, quos animarum cura praecipuo iure tangit, praeter quos huiusmodi discrimen generatim ligat omnino neminem.

XXIV. Hominem aeternae mercedis intuitu Deum diligere, & ipsi quoque servire posse, Catholica fides fateri iubet.

XXV. Aeterna autem retributio non Dei dilecti, sed bonorum tantum operum finis est, qui in ipsum Deum ulterius ordinetur.

XXVI. Charitatis praecepto obstringimur, magis obiectivè diligere meliores, quam coniunctiores nobis, haud aequè bonos.

XXVII. Nobis tamen secundum carnem propinquiores sunt caeteris paribus intensius prae aliis diligendi.

XXVIII. Secundum carnem nobis coniuncti in his quae ad ipsam pertinent naturam maiori dilectione sunt prosequendi, quam alii aliter nobis coniuncti.

XXIX. Probabilior est nobis opinatio illorum, quibus dilectio amici secundum se, & absolutè melior esse videtur, quam inimici.

XXX. Primum maximumque amandi Dei praeceptum, obstringit ita viatores, ut qui fregerit, perpetuò, ni resipiscat, ab ingressu in Patriam arceatur.

XXXI. Saepissimè obligat in vita, quandoque per se, tum maximè initio usus rationis in pueris, quandoque ex accidenti.

XXXII. Homo tenetur aliquoties actiones suas referre relatione virtuali explicita in Deum finem ultimum, sive naturalem, sive supernaturalem, scilicet modo quo ipsum cognoscit, aut cognoscere potest.

XXXIII. Opus ab homine deliberatè elicium ut vitio ac pravitate careat, non postulat in Deum diri-

gi relatione virtuali explicita , sed implicita solum.
Apertius. Fieri non debet opus illud virtute , & influ-
xu relationis actualis in Deum , si qua praecesserit;
sed sat est (modò non urgeat praceptum amandi Dei)
elici actionem honestam ex obiecto , nullaque sive fi-
nis , sive alterius cuiuslibet circumstantiae irrectitudine
depravatam ; ita ut operans , rationis , & legis natu-
ralis normam fecutus , sponte se illius Auctori summit-
tat , & dum amplectitur honestatem eliciendi operis,
censeatur implicitè Deum totius honestatis fontem dili-
gere , à quo singularis illa bonitas profluxit.

*Vt. D. D. Ioannes Vicent,
Stud. Reg. & Rector.*

Vt. D. D. Raymundus Albornòz , V. G.

Vt. Fernandez de Gatica Cens. Reg.

Imprimase.
Eulate.





